

Hic optime applicatur in sensu affirmativo sententia P. Grentrup, quam ille in dubio reliquit quoad naturam hierarchicam institutionis Vicariorum Apostolicorum Hollandiae. Ille nempe quaerit: an illi Vicarii Apostolici Hollandiae considerandi sint ut Vicarii sensu juris missionarii, vel potius ut hodierni administratores apostolici, quia etsi de facto episcopatus Hollandiae erant vacantes, juridice tamen existere pergebant. Solutio hujus quaestionei dependet ab alia, quando nempe S. Apostolica, episcopatus Hollandiae, qui jam longo tempore in praxi — de facto non existebant, juridice etiam cadere admisit. Ex hoc enim momento considerandi essent Vicarii Apostolici Hollandiae in sensu illorum in missionibus proprie dictis. Quia vero hoc ignoratur, propterea neque de charactere hierarchico illorum liquet.⁷⁰

Econtra, in Bosna certum est episcopatum bosnensem nec de facto nec de jure umquam desiisse,⁷¹ neque S. Sedes introductione Vicariorum Apostolicorum quidquam iurium episcopo bosnensi detrahere intendit, ut patet ex epistola supra allata. Propterea illa Vicarium Apostolicum bosnensem considerabat ut administratorem. Inter alia, sic a.

⁷⁰ »Für eine bis zur Spitzfindigkeit genaue Untersuhung käme es darauf an, festzustellen, wann der Apostolische Stuhl die niederländischen Büstimmern, die praktisch längst nicht mehr funktionierten, auch juristisch vollkommen fallen liess und als gänzlich beseitigt ansach. Von diesem Zeitpunkte ab wären die Apostolischen Vikare in missionsrechtlichem Sinne zu datieren. Weil sich diese Feststellung mit unanfechtbarer Klarheit gar nicht machen lässt, müssen wir, um ganz korrekt zu verfahren, über den hierarchischen Charakter der ersten Apostolischen Vikare in den Niederländer ein Non liquet aussprechen. Grentrup, Zur Geschichte und Ernenntung der Apostolischen Vikare, ZMW., XVI (1926) 112.

⁷¹ De facto pars dioecesis in Slavonia existebat cum proprio episcopo ordinario, cum qua altera pars sub Turcarum potestate remanens, etsi ab a. 1735 e jurisdictione episcoporum bosnensium subducta, juridice tamen in unione perduravit usque ad a. 1881, quo Leo XIII hierarchiam episcopalē ordinariam restituens etiam juridice pro semper provinciam bosnensem ab illa parte episcopatus in Slavonia avulsāt. Cfr. Constitutionem Leonis XIII »Ex hac augusta« in Acta O. F. M., I (1882) 102. Propterea non sine ratione, ut videbimus postea, notus episcopus Diakoviensis seu bosnensis, J. Strossmayer a Pio IX pro se jurisdictionem in totam Bosnam quaerebat. Cfr. Gavranović, o. c. 261 n. 5.